

artium arcam donum referrent. Rem paullo longius
repetamus.

Moses, ne scientiam relinquere cogeretur, Aegyp-
tum reliquit, & in Arabiam concedens à sacerdote Mi-
dia multa multos per annos est edoctus. Hinc Arabes
semnia artium ad Indos propagarunt, quorum tempo-
ris Gymnosophistarum & Brachmanarum nomine insi-
gniebant.

Hoc exceperunt Magi è Persià: vnde Græcia in scien-
tiarum omnium possessionem venit: quæ Romanis & I-
talis postea eessit, tandemque ad Germanos translata est.
Et nequid artium incremento deesset, Plato, Aristote-
les, Pythagoras, alij plures, suis multa effecerunt & pro-
fecerunt peregrinationibus, quas in Persiam, Italiam,
Aegyptum, Laedæmona, & alia loca habuerunt. Vni-
cum mihi est admirationi, quid quæso causæ, quòd olim
Priscos Germanos qui virtutibus inclutis æterna digni
memoria, nemo literarum monumentis illustravit? De-
stituti erant viris literarum cognitione imbutis, quique
regiones alias artibus florentes peragrarint, doctos adie-
rint, audierint, & quæ ad laudem Germaniæ decantan-
dam, & ampliandam facerent, cognorint. Iam verò longè
alia ejusdem facies, accensa hac literarum face.

Quod si vela altiùs in Peregrinationis altum, maxi-
mas ex illa Reip. commoditates nasci percipiemus. In-
stituta enim illa varia gentium, ritus moresq; hominum,
formæ civitatum, incredibile ad iudicium & Prudentiam
momentum adferunt: Si tamen non visa, aut libata ea
leviter, sed admissa, retenta, & conversa in vsum vitæ
publicum. De Vlysse vates quidam: Multorum providus
vrbes & mores hominum inspexit: qui dubio p rocul co-
gnitis